

tant, plures conueniunt, & quilibet eorum onus eis latissimum contendit attingere. Venit vnus Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia. 4. Reg. 19. num. 35. Et tamen ad portandum Eliam in caelum, Ecce, curru igneus, & equi ignei. 4. Reg. 2. Equi ignei erant multi Angeli sub forma equorum igneorum, vt tenent Abulens. quaest. 17. Serarius, Sanchez, Cornelius, & alij: Cur ad necem tot millium hominum vnus Angelus venit, ad portandam tamen Eliam in caelum multi Angeli: ad necem tanquam rem molestant vnus venit Angelus; ad asportandum vero Eliam in caelum, vt ad onus gratissimum multi conueniunt Angeli; Gaudet vnusquisque Angelorum tantum onus tangere. Nil gratius sanctis Angelis est, quam hominem in caelum ferre.

4 Reg. 19.

Abulens. Serarius, Sanchez, Cornel.

72.

Chryso. Aug. de defuncti animas ad gloriam.

Secundò. Respondet idem D. Chryso- stomus, eadem homil. Virique mortui sunt, illum Angeli, istum poena suscipiunt: ille portabatur in humeris Angelorum. Tante poena deliciis commutatur, vt portaretur ab Angelis, & adduceretur, ne saltem ambulans laboraret. Ecce Spiritus Angelici astant, & pauperem manibus atollunt, vt eo paruo labore, quo afficiuntur ambulantes, à Domino releuetur pauper, ne saltem ambulans laboraret. Sed tanquam in sublimi throno è manibus Angelorum efformato in caelum deferatur.

73. Pfalm. 44.

Virgines sine suo labore ducuntur ab Angelo. Eusebius.

Ait Regius Vates: Adducentur regi virgines post eam. Pfalm. 44. num. 15. Non ait, venient, ne suorum pedum labore fatigentur; nec tanquam plebei pedibus suis incedunt, sed ait, adducentur, à sanctis nempe Angelis tanquam Virgines ad desponsationem cum rege venientes, in sublimi, ac regali maiestatis throno, vt viri Apostolici in nubibus Caeli. Eusebius in Catena Graeca. Considerabis vero, ait, quomodo hoc dictum sit de Virginitate Apostolica sententia in Consilium adhibita, quae dicit, rapiemur in nubibus in occursum Domini in aera, & sic semper cum Domino erimus. Non enim ibunt ad regem Virgines, sed deducentur aliis eas ducentibus, nimirum sanctis Angelis, qui eas sublimes ferant, & in altum euehant.

74. Gen. 8.

Ambros.

August.

Post diluuij excidium. Venit ad vesperam Columba portans ramum Oliuae virentibus foliis in ore suo. Genes. 8. numero 11. Qui ramus simul cum suis virentibus foliis, maturos fructus Oliuae habebat, vt habet D. Ambrosius lib. de Atca. cap. 19. Ramus autem iste iustum significabat, qui non solum habet folia, seu exteriora virtutum, sed etiam veros illarum fructus, tamen ramus portatur à Columba ad arcam, quia iustus cum in caelum pergat ab alio portatur, à sanctis Angelis nempe. D. Augustinus tractatu 6. in Ioann. Ramus ille, ait, & filia, & fructus habebat. Non sint in te sola verba: Non sint in te sola folia, sit & fructus, & redis ad arcam non per te ipsum, Columba te reuocat.

QUESTIO XI.

Quare non explicatur à quibus Diues sepelitur in inferno, sicut exprimitur à quibus Lazarus est asportatus.

75. Basilius.

LEGANTER dixit D. Basilius Epist. 383. Est, ait, qui istius vite vanitatem detestatur.

us, & cognito, quod illius voluptates etiamnum hic catastrophas suam habeant, simenta quedam; & strues, aeterno illi igni congerentes, quam celerrime autem cursu praeuertete, transeunt a me cum proposito deserendi vitam hanc arduosam, & multis suspiriis reserissimam. Est tota haec vita iucunda, cui auide incumbimus, velut scena, seu tragædia quedam, vbi tanquam in comædia eius omnes deliciae breui transeunt, voluptas etiamnum hic catastrophas suam habent. Catastrophas Latine idè est, ac subuersio, omnes enim secum tragicum exitum habent, imò quântò magis illis indulgemus, tanto magis simenta quedam, & strues aeterno illi igni congerentes. Vt videre est in hoc epulone, cuius tota lubrica mundi gloria gehennalibus in aeternum tormentis est concluda, & terminata. Voluptates celerrime autem cursu praeuertete cum proposito deserendi vitam hanc arduosam.

Omnis mundana gloria breui transi.

76.

Basil.

Furi crudelis mors reseruat.

Non pratermittam, quod de hoc epulone notauit D. Basilius homil. 1. de laudibus ieiunij. Dum ait, terreat te diuitis exemplum, non enim ob crimen iniustitiae, sed ob vitæ molliciem exustus est in camino ardente. Non quia aliena rapiebat, sed quia epulabatur quotidie splendide, vt nec micam panis daret pauperi, ideo sepultus est in inferno. De eoque ait D. August. serm. 24. de verbis Domini. Si sic moriuntur superbi rerum suarum conseruatores, & nihil inde pauperibus largientes: Quomodo morientur, qui rapiunt aliena.

77.

Chrysol.

Impius in magno sepulchro torquetur, in situ in humili positus quiescit. Iob. 21.

Propius ad quaestionem accedamus. De sepultura huius Diuitis ait D. Chrysol. serm. 121. In marmoreo tumulo, & aurata veste iacet Diuitis corpus inclusum: pauperis caro naturae quiescit in limo. In amplo Mausoleo magnis sumptibus elaborato non quiescit, sed iacet Diuitis corpus, ab omnibus despectum, & aeternis cruciatibus immersum; At Lazari caro etiam humili loco posita quiescit in sublimi sede aeternae felicitatis, non enim gloria pensanda est è marmoreo sepulchro, sed ex interna animi virtute; de impio, ac iniquo ait Iob 21. num. 32. Ipse ad sepulchra ducetur, & in congerie mortuorum vigilabit. At contra Paulus iustos vocat dormientes. 1. ad Thessalon. 4. num. 12. Nolumus vos ignorare de dormientibus. Quid est, quod iniquus in suo magno, ac magnifico sepulchro dicitur viligare; iustus vero, etsi in humili iaceat dormire? In vigilia denotatur molestia, ac fatigatio, & attentio mentis, & memoriae, atque alligatio ad poenam, & cruciatum, in dormitione vero iucunda, ac placida quies, & requies; iniquus semper torquetur, & cruciatur; iustus vero iucunda quiete exultat, & gaudet. Peneda ad citatum locum Iob. Potest intelligi, ait, molestia quedam ingens vigiliarum, quod cum alij defuncti, prohi praesertim, quiescunt, & placide dormiunt, impius non sinetur quiescere, sed vigilabit tunc, & perpetuam illam damnationis noctem ducet insonnem.

78.

Chrysol. Impius in morte ab omnibus deseritur.

Ad quaestionem D. Chryso stomus in Catena D. Thom. Nullus autem est, ait, qui sepeliendo diuiti ministrasse dicitur, vt Lazaro: & qui multos habuit obsequentes, adulatores, vt peruenit ad finem, priuatus est omnibus. Licet enim habuisset multos amicos, & aduatores, non dicitur tamen à quibus est sepulturae mandatus, vt dicitur de Lazaro, asportatus ab Angelis; quia cum miser ad finem venit ab omnibus est desertus. Amicitia huius saeculi cum morte finitur; rara vero, & admirabilis, quae post mortem durat, & perseverat.

Cum

EXPOSITIO V.



LEVANS autem oculos suos. Non corporis, sed mentis, Deo sic ordinante, ac ostendente erat diues in inferno inferiore, ac deorsum; Abraham vero sursum, ac in superiore loco, & cum dicitur, quod eleuauerit oculos, notatur sublimitas, ac celsitudo Lazari, ad quam eius paupertas eum subleuauit. Eusebius Gallicanus serm. in feria 5. post Dominicam 2. Quadrages. Diues, ait, iam videre incipit Lazarum superiorem, & tam superiorem, vt nisi oculis eleuatis eum videre non possit. Et bene dicitur, quod leuauit oculos tanquam in eo res noua; nam hucusque eos depressos habebat in terrenis; tormenta autem docuerunt eleuare. Cum esset in tormentis: dicitur in plurali, Hugo. Vt denotetur tormentorum cumulatatio, & multiplicatio. Et non explicantur tormentorum genera, quia illud tormentum, ex omnibus tormentis coalescit, ac omnem rationem superat. Vidit Abraham à longè, vt notant D. Gregorius, Beda, Haymon, D. Bonauent. quia reprobi longè sunt ab electis loco, & merito. D. Chrysol. Longè illi erat Abraham, cui non fuerat proximus pauper. Non poterat esse proximus illi Abraham, qui longè fuerat à pietate, ac misericordia.

80.

Euseb. Gall.

Hugo.

Gregor. Beda. Haymon. Bonauent. Chrysol.

81.

Chrysol.

Græcus.

82.

Syriac.

Chrysol.

Chrysol.

79. Exod. 19.

Glossa. Lypom.

Magna laus Moyses, quod de mortuo recordetur.

Cum proficiscerentur Hebraei de Aegypto. Tullit Moyses ossa Ioseph secum, eo quod adiuuasset filios Israel: Vistabit vos Deus, afferte ossa mea hinc vobiscum, Exod. cap. 13. num. 19. Hæc Patriarchæ ob iuratio vniuersos astringebat Israelitas, qui omnes multis nominibus debitores erant Ioseph, cuius multa cumulata beneficia erga eos extiterant; cur ergo solum Moysen illius feretri latorem fuisse scribitur? Cur non dicitur, quod ipse Moyses tulerit aliquid secum de spoliis Aegyptiorum, de auro, argento, vel veste, sicut cæteri Hebraei fecerunt? Glossa Græca apud Lypomanum: Iudæi, ait, vtpote infantibus similes, aurum, atque argentum secum detulerunt: Moyses vero intemerati animi vir Ioseph ossa deportauit. Ioseph iam ante multos annos defunctus erat, & de homine defuncto agere, vt debito loco sepeliatur, non erat vulgi Hebræorum, qui tantum ad aurum, & argentum toto studio ferebantur, hoc enim solum Moysis opus erat. Moyses vero intemerati animi vir Ioseph ossa deportauit. Vt videatur quantum Moyses reliquæ multitudini excederet, narratur, quod hominis defuncti memoriam retinuerit, quod dum alij coaceruando auro, & argento, ac vestibus solliciti incumberent, ipse tantum cogitabat ossa Patriarchæ deferre, cuius amorem ipsa mors non potuit minuer.

Luc. 16. n. 23. Eleuans autem oculos suos, cum esset in tormentis; vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu eius.

Num. 24. Et ipse clamans dixit: Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.

VERSIONES.

Syriacus. Cùmque torqueretur in inferis, eleuauit oculos suos eminus, viditque.

Theophylact. Atque in tartaro sublatis oculis suis cum esset in tormentis.

Caietanus. Et Lazarum in sinibus eius, Syriacus n. 24. Et clamauit alta voce, aitque: Pater mi Abraham miserere mei, & mitte Lazer, vt intingat extremum digitum suum in aquam, & humectet mihi linguam meam.

Arabicus. Vt intingat extremitatem digiti sui in aquam, & refrigeret cum ea linguam meam.

D. Chryso stom. Et instillet linguæ meæ, quia vrer his flammis.

Vidit Abraham. Commune sui, ac cæterorum Iudæorum patrem, qui etiam diues fuerat, sed diuitiæ Abraham huius miseri diuitis diuitias condemnabant. D. Chrysol. serm. 121. Abraham, ait, venientibus longè semper occurrit, praterentes etiam prece vocat, nolentes magna cum supplicatione compellit ad mensam: at iste alter diues, imò diuitiarum captiuus, seruus opum, & ipsi censibus compeditus, tantum pompe immobile sepulchrum, in quo pietatis totus vtrique, & visus defecerat, & auditus. Abrahamus habuit diuitias ad miserorum opem, ac ad pietatis commercium; at epulo iste illis abusus est ad pomparicæ gloriæ factum, ac ad mensam, & purpuræ superbiam. Et Lazarum in sinu eius. Seu vt legit Græcus, in sinibus eius, hoc est vndique, ac omni ex parte amanter complexum; de quo quaest. sequenti.

Et ipse clamans. Seu vt habet Syriacus: Clamauit alta voce: qui clamor non fuit corporalis, sed quedam mentis locutio, ac ingens affectus; dictum est enim quod Abraham, ac Lazarum viderat à longè, & ideo consequenter dicitur, quod diues clamauerit. Seu vt ait D. Chryso stomus homil. 1. de Lazaro: Magna, inquit, poena magnam vocem reddebat. Hæc enim magnitudo poenæ declaratur. Pater Abraham miserere mei. Singula verba valde apta sunt ad commiserationem mouendam. Abraham vocat vtpote communem Iudæorum patrem, & quia ipse erat princeps, ac rector illius loci, vtpote pater omnium credentium, & cum proprio nomine Abraham vocat, ostendit, quod ex nomine, ac facie agnoscebat, & vt ipsa nominis compellatione maximè eum ad pietatem moueat, vt sæpe solent pauperes facere. Miserere mei. Ecce sera poenitentia, cum non sit locus poenitentiae, & in ea adhuc multum errat, vt notat D. Chryso stomus in catena D. Thom. Creator, ait, creatura miseretur sua: vnus venit medicus, qui sanat morbos, alij sanare non possunt. Erras miser. Ecce magnus error in multa præcipitia te impellens, quod miser in suis necessitatibus subleuamen



leuamen, ac remedium non à creatore, sed à creatura expectet; præcipue, cum ipse esset desertus, ac derelictus ab omnibus. Miserere mei, ait, vt notat Carthusianus, non quoad culpam, sed quoad penam, nam damnatorum voluntas in malo obfirmata est.

Carthuf.

83.

Arabicus.

Mitte Lazarum, non rogat mitti alium, sed Lazarum, cuius longanimitatem, mansuetudinem, ac patientiam satis notam habebat, vt intingat extremum digiti sui in aquam. Seu vt legit Arabicus, extremitatem digiti, id est, vt vna gutta aque refrigeret linguam meam, in qua vehementius affligor, quia crucior in hac flamma. Ecce miser, qui olim purpura vestiebatur, nunc igne vestitur purpura denudatus, & qui suauissimos cibos olim edebat, cibis factus est flammæ. Mitte Lazarum vt intingat. Vana præsumptione stultus diues gehennæ incendia temporalia reputat; & qui rogandi tempore dormiuit, nunc patiendi tempore rogat. D. Chrysol. serm. 66. Diues, ait, bonorum suorum nesciuit tempus, nec malorum suorum miserandus agnoscit. Rogo te Pater; modo rogat? Modo tibi tempus patiendi est, non rogandi.

Chrysol.

84.

Maldon. Ianfen. Barrad.

Largè hic disputant recentiores, Maldonatus, Ianfenius, Barradas, & alij; quomodo anima epulonis separata à corpore dicatur habere linguam, sicut & anima Lazari digitum, vt intingat in aqua? Hæc tamen parabolice sunt dicta ad significandam extremam diuitis miseriam, & cruciatum; nam alioqui nec beati damnatos iuuare possunt, aut volunt, cum sciant id esse contra æternum Dei decretum, nec damnati id rogare, aut petere queunt, vel audent, cum sciant magnum chaos inter illos, & beatos esse firmatum.

QVÆSTIO XII.

Quare modò diues epulo videt distantem longissimè Lazarum, quem antea sibi vicinum minimè intuebatur?

85.

Bostrenf.

RESPONDET primò Titus Bostrensis: Vt Deus Adamo à Paradiso eiecto, ait, ex aduerso Paradisi sedes assignauit: quo creber eiusdem conspectus dolorem instauraret: ita Lazarum in cruciatuum augmentum diuitis huius aspectui obiecit: flammeo gladio eiectus homo à paradiso ante illius faciem constituitur, vt amissa contemplans maximè torqueatur; ante faciem diuitis obicitur Lazarus, vt eius celsitudine illius viscera multis gladiis transfuerentur. D. Chrysol. tomus homil. de Diuite: Totus, ait, in tormentis erat, oculos solos liberos habebat, vt alterius lætitiâ possit aspicere, vt magis torqueretur. Quasi ipsa gehennalis pœna in æternum non foret satis ad diuitis malitiam dignè castigandam, nisi etiam alterius gloriæ manifestata inuido ostenderetur, vt magis torqueretur. Stantibus, & audientibus reprobis electi vocantur ad gloriam. Venite benedicti Patris mei, &c. Matth. 25. num. 34. Et postea damnati ad inferos mittuntur: Ite maledicti. Cur beatorum prior sit promotio: vt ex eorum agnita felicitate miserum magis torqueantur. D. Chrysol. serm. 22. Quale est, ait, inter æternos cines, de contemptu dolorem, de ignobilitate pœnam, de nuditate opprobrium sustinere: & tunc addici pœnis, quando alij promouentur ad regnum.

Chrysol.

Gloria alterius inuido maximum tormentum.

Matth. 25.

Chrysol.

86.

Secundò, D. Dionysius Carthusianus, cum esset

in tormentis. Vidit à longè, sic ait: Oculos, quos clausi hic culpa, ibi aperuit pœna. In hac etenim vitâ impijs delectationibus mente cæcatus, non considerauit prauorum pœnas, & gaudia beatorum. Ante vestibulum domus suæ cum non viderat diues, & nunc à longè agnoscit Lazarum, vt ab eo refrigerium petat, quem enim abundantia obcæcauerat illius mentis oculos miseria aperuit. Prodigus in domo patris multa rerum copia affluens profectus in regionem longinquam, vbi inedia, ac penuria vexatus; surgens venit ad patrem, Luc. 15. num. 20. Chrysol. serm. 66. Fames reuocat, quem satiritas expulerat. Villicus factus dispensator bonorum domini sui, illorum opulentiâ obcæcatus, ipsa bona dissipat, tamen timens condemnationem illius iudicij. Redde rationem villicationis tuæ, Luc. 16. num. 2. Acuitur illius mens, & perspicax factus prudenti consilio viam salutis sibi prouidet.

Carthuf.

Luc. 15. Chrysol.

Luc. 16.

87.

Chrysol.

Opulentiâ bonorum excæcat mentem.

88.

Tertiò, D. Chrysol. serm. 124. Immutatio quanta rerum, ait, pauperem prouexit ad philosophiam, diuitem extulit purpura ad superbiam, ad cæcitatem splendor: Quo descendit diues? Quo pauper ascendit? respicit ibi sursum, quem despecterat hic deorsum: videt eum de inferno in sinu Abrahe, quem iacentem se coram superbo de signate non videbat. Modo de longinquo videt, quem antea iacentem iuxta limen ostij sui non videbat. Superbo de signate non videbat. Superbo apparatu auri, ac purpuræ sic cæcus effectus est, sicque in tenebris degebat, vt iuxta se iacentem minimè videret. Vide supra cap. 8. num. 23. & cap. 21. num. 70.

Quartò, Ad eadem verba: Vidit eum de inferno in sinu Abrahe, quem iacentem se coram superbo de signate non videbat. In tormentis inter nebulosum fumum videt, quem in limine ostij nõ agnouit. Et quænam huius rei causa? Epulabatur quotidie splendide. Quid ergo mirum, quod de superbo signate. Id est de ampla, & opipara mensa multa crapula, ac ciborum varietate, sic obcæcetur; vt facilius ipse tenebroso, ac horrendo inferni carcere detentus Lazarum intueatur, quam saginatus lauta, & ampla mensa coram oculis suis iacentem videat. Expeditiùsque fuit de inferni caliginoso fumo Lazarum videre, quam clara die de conuiuio ipsum aspicere.

Epule pluri obcæcant, quam inferni tenebra.

89.

Luc. 15.

August. Beda.

Plus à Deo separat gula, quam dæmò.

Chrysol.

90.

Chrysol.

Prodigus ille inter epularum delicias in paterna domo, paternæ pietatis sit immemor, vt à patre recedat in regionem longinquam, in qua adhaesit vni cuius regionis illius, Luc. 15. num. 15. Per hunc ciuem diabolum interpretantur D. August. Beda, & alij dati cap. 27. exposit. 3. & tamen ibi sub dæmonis potestate. In se reuersus, quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus. Aperiuntur oculi, patris recordatur, & ad ipsum properat venire; plùsque valuit ad perdendum, ac à Deo Patre separandum ventèr gula repletus, quam cor à Dæmone obfessum, ac possessum, plus potuerunt eum elonginare epulæ quam demonum artes, ac machinationes. D. Chrysol. serm. 2. A se migrat, ait, ab homine transit in bestiam, paternæ pietatis immemor gratia genitoris oblitus. Fames illi patrem dedit sapere, cui copia tulerat sentire genitorem. Oneratur ventèr ad vitia cor deponit, premit mentem, ne supernam valeat sentire pietatem.

Quintò, D. Chrysol. tomus homil. 7. in Lucam: Cum proximus, ait, esset Lazarus, præteribat eum Diues, cum autem procul absit, inuocat: quem frequenter ingrediens, & egrediens, non videbat, hunc procul semotum diligenter aspicit. Cum Lazarus esset pau-

per

Pauper despicitur, diues cognoscitur, & queritur.

91. Iob 42.

Diuiti quærit homines, pauperem fugiunt.

Nicetas.

Iob 2.

per ab omnibus destitutus ad ianuam iacens, nec oculos in eum diues coniecit; at verò cum omnibus abundans, multis fauoribus insignitus in sinu Abrahe requiescit, etiam è distantissimo loco ipsum aspicit, & inruetur auarus. Lazarus sub paupertate etiam propinquissimus non videtur, at verò cum paupertate exiuit, diuitiis affluit, etiam distantissimus apertè & clarè videtur: sic mundiales non despectos, sed bene fortunatos diuitiis fulgentes vident, ac intuentur.

Cum ex cumulo suarum miserationum restituitur Iob in suum pristinum statum. Venerunt ad eum omnes fratres sui, & vniuersæ sorores sue, & cuncti, qui nouerant eum prius, & comederunt cum eo panem, Iob 42. num. 11. Cum Iob in extremam miseriam, ac paupertatem incurrisset, nullus frater, nec soror, nec propinquus eum visitat, eique afficit; at verò cum ad rediuium prosperitatem redit, statim omnes fratres, vniuersæque sorores, & qui eum prius nouerant ad eum conuolant, eique adsunt, quid est hoc? Nisi vt denotetur mundialium conditio, qui ad bene fortunatos, ac felices concurrunt, à deiectis verò, ac miseris omnino fugiunt, & declinant. Nicetas in Catena Græca: Fortassis, ait, etiam propinquorum inhumanitatem diuinus sermo præstringit, qui simulatam amicitiam, propinquitatibus speciem imitantur, quandoquidem ab eo cum premeretur eruantis, longius absissent, ubi esset rebus tranquillitas restituta, gratulandi causa adularunt. Et quod ad eum in sua paupertate tres amici venerint, Iob 2. tanquam quid nouum, & inuitatum præter hominum conditionem notatur à sacro Textu.

QVÆSTIO XIII.

Quare miser epulo suum sermonem dirigit potius ad Abraham, quam ad Lazarum?

92.

Cur patrem vocat? Chrysol.

Magna miseria quod pater filium damnat.

Isai. 1.

Zeno.

93. Theophyl.

VIDET miser Abrahamum, ac Lazarum, quem optimè agnoscebat, & tamen suum sermonem ordinat ad Abraham, dicens: Pater Abraham; patrem ipsum vocat, in argumentum suæ magnæ damnationis, vt rectè ponderat D. Chrysol. serm. 23. Modo cognoscit patrem, ait, & modo tibi patrem se esse nescit. Infelix, quem ipsa origo arguit: infelix, cui in iudicio pro magnitudine criminis non misereri genitor, non pater ignoscere, non affectio potuit subuenire. Quid miserabilius contingere poterat homini? Ad quas maiores angustias eum poterat sua malitia deducere, quam quod ipse clamaret pro leuamine ad patrem, & pius pater eum arguat vt degenerem, cumque damner, ac reprobet, illique subuenire recuset? Recepisti bona in vita tua. D. Zeno serm. ad verba Isai. 1. num. 2. Filios enutrimus & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. Cum vt pater filios vocat, poterat suspicari, quod multa indulgentia eos prosequeretur, & tamen statim damnationis sententiam in eos inferret. Væ, væ genti peccatrici! sic ait S. Zeno: Detestabilis certè filius, quem pater ipse pius, quem pater damnauit iniustus. Quis enim miserabitur illius, quem ipsius amantiſſimus pater damnat?

Ad quætionem respondet primò Theophyl. etus relatus in Catena D. Thomæ: Non dirigit sermonem ad Lazarum, ait, sed ad Abraham, quia forsitan erubesceret, & putabat Lazarum remissum malorum. Cur ad ignotum Abrahamum, quam ad Sylueam in Euang. Tom. IV.

notissimum Lazarum sermonem suum instituit damnatus epulo, optimè enim sciebat, quod Lazarus negati alimentum iniuriam patientissimè tolerasset, & quod ipse præcipue cum existeret in sinu Abrahe omni parceret offensæ; cur ergo cum ipso non loquitur: bene sciebat miser epulo, quod Lazarus pepercisset iniuriæ, tamen dubitabat, an parceret pudori, quod ipse nempe auderet, peteret benignitatem ab eo, in quem tam crudelis extiterat, & idè ab eo non petit, quia forsitan erubesceret. Et si damnatus, verecundia tamen afficiebatur, vt peteret beneficium ab eo, qui omnia sua negauerat. Secundò, quia cum Diues Abraham patrem agnosceret, inde multa confidentia adiuuamen.

Qui negat sua, erubescat ab alijs petere.

94. Theophyl.

Vniquis que ex se de alijs cogitat.

Tertiò, Theophylactus in suo Codice: Cur non vertit, ait, sermonem ad Lazarum, sed ad Abraham? Conſundebatur forsitan existimans forsitan Lazarum vindicta auidum, & ex suis causis indicabat illum. Si enim ego tanta felicitate fruens contempſi illum tantis malis coangustiatum, & neque micæ ei communicavi, multo magis ipse contempſus vindicabit, & non annuet, vt mihi beneficium concedatur, propterea ad Abraham facit sermonem. Adhuc maleuolentia in sanctum mendicum damnatus epulo flagrabat, & secundum affectum suum prædominantem indicabat, talem itaque Lazarum apud se describebat, qualem ipse semetipsum existimabat; ipse erga Lazarum odium ferebat in mente, recogitabat etiam quod Lazari animus erga ipsum odio occupabatur, ac proinde de suo animo de Lazaro indicabat, quod antiquas iniurias vlcisceretur, & quod rogatus nil solatiij esset allaturus. Existimas forsitan Lazarum vindictæ auidum, ex suis indicabat illum. Ac proinde quod sicut ipse si vires haberet vindictam in Lazarum infligeret, sic etiam ab eo vindictam extortendam recogitabat; ac proinde ex suo deprauato corde Lazarum alterum semetipsum efformabat.

Ait Regius Vates: Quam bonus Israel Deus, his qui recto sunt corde, Psalm. 71. num. 1. Diuinum numen omnibus bonum est, qui Solem suum facit oriri super bonos, & malos, Matth. 5. num. 45. Quomodo ergo à Regio Vate decantatur solum bonus his qui recto sunt corde? Cur non omnibus? Deus in semetipso, ac omnibus bonus est, non tamen omnium mortalium cogitatione sic bonus existimatur, sed tantum ab his, qui recto præditi sunt animo. At verò illi, qui deprauato sunt corde multa maleuolentia, odio, ac vindicta pleno, ex sua malignitate multum mentientes iuxta cor suum sic Deum fabricare non verentur, & cum peruersitas omnino Deo repugnet, ipsi peruersi talem Deum pingere non recusant. D. Augustinus in Psalm. 44. ad illa verba: Virga directionis virga regni tui. Sic ait sanctus Doctor: Ait in alio loco: Cum sancto sanctus eris, & cum peruerso peruersus eris; non quia peruersus Deus, sed quia peruersi peruersum eum putant; placet tibi bonum, bonus est Deus, displicet tibi, quasi prauus est; curuus est ad te Deus, tua curuatura facit hoc, nam illius reſtitudo semper manet, audi in alio Psalmo: Quam bonus Deus Israel reſtus corde.

95. Psalm. 71. Matth. 5.

Peruersi ex se Deum depingunt.

August.

Abſcondit se Adam à facie Dei deambulantis, à quo conquisitus vbi esset, respondit: Vocem tuam audiuisti in Paradiso, & timui, eo quod nudus essem, & abscondi me, Genes. 3. num. 10. Homo nudus creatus est à Deo, & antequam vetitos fructus

96. Gen. 3.